



Decisiones Sacramentales, Theologicæ, Canonicæ, & Legales

In Quibus Tota materia Sacramentorum, Theologiæ Moralis, Juris Canonici, & Quæstiones plurimæ Juris Civilis explicantur, dilucidantur, & traduntur, Eruditionibus, Historiis, & Exemplis adornatæ ; Opus Episcopis, Vicariis, Parochis, Confessariis, aliisque Studiosis utile, ac jucundum In Libris novem ...

Decisiones Miscellanæ

Chiericato, Giovanni Maria

Augustæ Vindelicorum, 1730

Decisio LXXXIV. Argumentum. Agitur de restitutione damni ob homicidium: & quomodo sit definiendum pretium rei furto ablatae, restituendum Domino.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94626](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94626)

quast. 47. art. 10. 11. & 12. Gonet. in *Chp. Theol. Thomist. tom. 4. tract. 11. disp. 1. art. 1. & 2. Sylvest. Maurus in Arist. 6. Ethic. cap. 8. Eques Thesaur. in Phil. Mor. dict. lib. 17. cap. 12. 13. & 14. Eminentis. Card. de Lauræa d. tom. 2. disput. 12. num. 44.*

Tria autem munera fuerunt Virtuti prudentiæ assignata. Unum *Eubulia* seu bona consultatio de agibili, seu mediis ad finem consequendum, non de necessariis, & impossibilibus aliter se habere, sed de contingentibus, & incertis, imò etiam de opinione tam objectiva, quam formali eligenda, dum de agibili non habetur scientia. Alterum *Syneſis*, id est bonum iudicium, nam post consultationem Vir prudens debet judicare, quod est optimum in agibilibus. Tertium *Gnome*, sive Recta ratio, seu Præceptum; dum post consilium, & iudicium de bonitate mediorum ad agendum, Prudentia præcipit, ita esse faciendum; & quamvis præcipere spectet ad voluntatem, cuius est imperare, id tamen procedit de libero imperio per modum domini, secus de imperio per modum iudicii, ac regulæ directivæ, quod pertinet ad intellectum, in quo residet Prudentiæ Virtus; licet enim Intellectus in genere obsequii, ac domini obediat voluntati, & ei serviat; nam voluntas refragari potest, & sæpè refragatur rectæ rationi, & regulæ intellectus; tamen intellectus in genere regulæ præcipit voluntati. Igitur *Gnome*, seu Præceptum, & recta ratio est certum munus Virtutis Prudentiæ, dum discernit secundum leges; quod si adstringatur, legem declarare ex aliqua circumstantia, vel corrigere, vocatur *Epicheja*. S. Thom. 2. 2. quast. 51. art. 4. Sylvest. Maur. in dict. lib. 6. Ethic. cap. 9. 10. & 11. Laym. lib. 3. sect. 4. Gonet. d. tom. 4. tract. 11. disput. 1. num. 8. Emanuel Thesaur. Philos. Mor. lib. 16. cap. 4. & lib. 17. cap. 16. latè, doctè, ac subtiliter Eminentis. Card. de Lauræa d. tom. 2. disput. 11. & disp. 12. In quibus tractat materiam probabilitatis opinionum, & docet, quando adhaerendum sit probabiliori relicta probabili, & tutiori, relicta minus tuta.

Partes integrantes Virtutis Prudentiæ sunt octo; scilicet *Memoria*, *Intelligentia*, *Docilitas*, *Solertia*, *Ratio*, *Providentia*, *Circumspectio*, & *Cautio*. Ejusdem autem Virtutis Objectum materiale remotum sunt agibilia, proximum Virtutes morales, in quibuslibet agibilibus; Formale verò objectum Virtutis Prudentiæ est veritas bonitatis actuum virtutum, affectuum, ac passionum; eò quia objectum formale intellectus non solum est Verum, sed Verum Bonum, de utroque enim iudicat Intellectus, aliàs Voluntas non posset bonum prosequi, cum ipsa non feratur in incognitum; præterquam quòd intellectus tendit in idem ens, in quod Voluntas, sed hæc sub ratione boni, ille sub ratione veri. Gonet. dict. disput. 1. art. 2. & Eminentis. Card. de Lauræa ubi supra disput. 13. per totum.

Subjectum immediatum Virtutis Prudentiæ est intellectus: adæquatum verò est homo, tam Superior, quam subditus, tam Viator, quam Beatus, ac etiam Angeli in cælo. Eminentis. Card. de Lauræa ibid. disp. 14.

Vitia tandem opposita Virtuti Prudentiæ, alia sunt ex defectu; scilicet *Præcipitatio*, *Temeritas*, *Inconsideratio*, & *Inconstancia*; alia ex excessu, nempe *Astutia prava*, seu *Calliditas*, *Sollicitudo su-*

perflua circa temporalia, *Fraus*, & *Dolus malus*. De quibus plene S. Thom. 2. 2. quast. 53. quast. 54. & quast. 55. Eman. Thesaur. d. lib. 17. cap. 15. ubi plura exempla histor. Eminentis. Card. Tollet. lib. 8. cap. 46. Layman. dict. lib. 3. sect. 2. & Eminentis. Card. de Lauræa d. tom. 2. disput. 17.

D E C I S I O LXXXIV.

A R G U M E N T U M.

Agitur de restitutione damni ob homicidium; & quomodo sit definiendum pretium rei furto ablata, restituendum Domino?

S U M M A R I U M.

1. Homicida, ac percussores, quid & quantum restituant?
2. Hæredes homicidarum quando teneantur ad restitutionem?
3. Restitutio quorum expensis sit facienda?
4. Possessor bona fidei an restituat rem suis expensis?
5. Debitor ex contractu ubi rem restituat?
6. Pretium maximum, vel medium, aut minimum rei an sit restituendum?
7. Distinctio circa restitutionem pretii rei furto ablata.
8. Casus sex pro dicta restitutione attendendi.
9. Arbitrium boni viri attendendum in rebus dubiis.
10. Aliud pro alio invito creditore solvi non potest.
11. Pretium loco rei extantis quando solvi liceat?

AD Primum Quæsitum, Quid sit restituendum pro homicidio, mutilatione, vel percussione? Dictum fuit, esse restituenda omnia damna spiritualia, civilia, & realia, quæ ex homicidio, mutilatione seu percussione proveniunt ipsi occiso, vel mutilato, vel percusso, ac ejus familiae. Damna spiritualia sunt, si E. g. occisio impedivit, ne fierent sacrificia, & suffragia determinata ab occiso, nam occisor ea supplere debet. Civilia sunt, si ex percussione latus fuit honor, aut fama occisi: nam & ad honorem, & famam restituendam percussor tenetur. Realia sunt, tum expensæ in medicinis, tum cessatio lucri ex negotiatione, arte, aut opificio proventuri ipsi occiso, vel mutilato, aut percusso; circa cujus lucri futuri taxationem plures regulæ dantur à DD. respectu incertitudinis tum vitæ humanæ, tum negotiorum, quas videre oportebit in praxi apud Molinam de Just. & Jur. tract. 2. disput. 155. & seqq. Julium Clarum §. Homicidium, & §. ult. quast. 15. Petr. Navarra lib. 4. de Restit. cap. 1. Summ. Dianæ Verb. Restitut. à num. 24. & seqq. Rebell. de oblig. Just. lib. 3. quast. 11. & seqq. Layman. lib. 3. tract. 3. par. 3. cap. 6. Eminentis. Card. de Lugo de Just. & Jur. tom. 1. disput. 11. & Eminentis. Card. de Lauræa d. tom. 2. in 3. lib. Sent. disput. 23. art. 8. per totum: qui omnes notant, hujusmodi obligationem restituendi transire etiam ad hæredes, quando occiso, mutilatio, vel percussio fuit cum culpa.

Ad Secundum Quæsitum, Cujus expensis sit facienda restitutio? Tres casus distinxerunt. Pri-

mus est, Si restitutio sit debita ex delicto, videlicet ex furto, usuris, iniusta latione, vel damnificatione, vel ex culpabili mora, in hoc casu restitutio est facienda expensis debitoris. Cardin. de Lugo de *Iustit. & Jur. tom. 1. disput. 20. sect. 8. §. 1.* detractis tamen illis expensis, quas dominus rei fecisset, si rem debitam ad locum, ubi habitat, transvexisset. Sed quid dicendum, si in re restituenda majores expensæ faciendæ forent à debitore, quam res ipsa valeat? Pugnans DD. nam alii asserunt, pretium rei pauperibus, vel cognatis creditoris esse tradendum, quia iustitia distributiva, cujus est æqualitatem servare, non videtur velle, ut pro re minima expensæ maximæ fiant à debitore, etiam reluctante creditore, qui irrationabiliter censetur invitatus; non enim iustitia debet destruere charitatem, quæ est finis omnium virtutum. Sylvest. *Verb. Restitutio 4. quest. 4.* Molina *tom. 3. disput. 752. num. 5.* Lessius *cap. 15. dub. 8.* Bonacina de *Restit. disput. 1. quest. 5. num. 5.* Alii tenent, omnino rem esse restituendam creditori, seu domino, quibuscunque expensis non obstantibus, ad quas debitor se obligavit ex proprio delicto; est enim magis æquum, ut delinquens patiatur damnum illud expensarum, quam creditor innocens amissionem rei suæ; quare laudatus Zachæus, qui de se dixit, Si quid aliquem defraudavi, reddo quadruplum. *Luc. 19.* Navar. *cap. 17. num. 43.* Covaruv. in *Reg. Peccatum part. 1. num. 7.* Vasquez de *restit. cap. 10. dub. 1.* quos refert Eminentiss. Cardin. de Lugo d. *disput. 20. sect. 8. num. 184.* qui *num. 185.* ab hac secunda opinione tantquam nimis rigorosa discedit, & nonnullis traditis regulis ad dimittendum damnum debitoris, & Creditoris docet, quod si expensæ debitoris in restitutione faciendæ non excedant duplum damni, quod patitur creditor, expensæ sint prorsus faciendæ à debitore, secus autem si debitoris damnum sit duplo majus. Concludit tamen, multum prodesse posse debitori præsumptam creditoris voluntatem, in decernendo, & credendo ad effugiendas magnas expensas, rem ipsam, seu ejus pretium restitui pauperibus, seu consanguineis ipsius creditoris.

Secundus casus est, quando res non est debita ex delicto, eo quia debitor inculpabiliter eam habuit, & est bonæ fidei possessor; & omnes concordant, restituendam esse expensis creditoris, qui imò tenetur refundere expensas factas à debitore in re custodienda. Eminentiss. Cardin. de Lugo d. *disput. 20. sect. 8. §. 2.* Thom. Tamburin. in *Decal. lib. 8. cap. 1. §. 8. num. 6. & 7.*

Tertius casus est, si res debita sit ex contractu, nempe ex mutuo, commodato, deposito, emptione, & similibus; & in hoc varii varia dicunt, ut videre est apud Vasquez de *Restit. cap. 10. num. 2.* Bonacina d. *disput. 1. quest. 5. num. 13.* & Molina d. *disput. 752.* Sed verior opinio est, quod si à principio non fuit designatus locus, in quo debitor solvere debeat, vel rem restituere, saltem tacite, & præsumptive debeat suis expensis solutionem facere, vel restituere rem in loco, in quo ei res fuit tradita; & ratio est, quia quocunque alio loco solutio, seu restitutio fiat, deficeret æqualitas contractus, & vergeret in majus detrimentum vel creditoris, vel debitoris. Tamburin. *dict. lib. 8. in Decalog. cap. 1. §. 8. num. 13.* Eminentiss. Cardin. Toletus *lib. 5. cap. 25. num. 3.* & Cardin. de Lugo d. *disput. 20. sect. 8.*

Doct. Clericali Tom. II. Lib. IX.

§. 3. num. 199. & 200. ubi plures illationes ad alios casus.

Sed quid respondebit Confessarius ad sequentem casum?

Rusticus constituitur in Paschate, se furatum mense Augusto frumenti modium unum, quod tunc valebat Ducatos octo. At mense Decembre valuit Ducatos duodecim. Nunc valet Ducatos decem. Quæritur, quæ summa sit ei injungenda, ut restituat?

Fuerunt relatæ tres opiniones Doctorum. Prima, quod sit restituendus valor maximus, id est ducati duodecim, absque alio discrimine, quia quando auctus fuit valor tritici, illud erat domini, & fur tenebatur cum illo augmento tunc restituere, à qua obligatione nunquam fuit liberatus. Ita Navar. *cap. 17. num. 26.* Vasquez de *Restit. cap. 5. §. 1. dub. 12. num. 78.* Sylvest. *Verb. Furtum, quest. 16.* Angelus *Verb. Furtum 844.* Secunda, quod sit restituendus valor illius temporis, quo dominus erat venditurus, vel consumpturus triticum, & ideo si fur plurius illud vendidisset, posset sibi retinere ipsum plus, eo quia Dominus non censetur damnificatus in illo pluri. Bonacina *tom. 2. de Restit. in gen. disput. 1. quest. 3. punct. 11. num. 9.* Layman. *lib. 3. tract. 2. cap. 4. num. 6.* Diana *part. 2. tract. 17. resolut. 51.* Quæ in Coordinato est *tom. 8. tract. 7. resolut. 9.* Tertia, quod vertente dubio circa tempus, quo dominus erat venditurus, vel consumpturus triticum, sint restituendi duodecim Ducati, juxta majus pretium mensis Decembris; quia in dubio melior est conditio innocentis, in ejusque favorem inclinandum. Vasquez de *Restit. d. cap. 5. §. 1. dub. 12. num. 77.* & Lessius *lib. 2. cap. 12. dub. 16. num. 109.*

Ceterum doctiores nostri Cleri neutri ex his opinionibus acquieverunt; non primæ, & tertiæ, quia nimis rigorosæ; non secundæ, ut nimis laxæ. Et quia Quæsitum est permolestum, & illud permolestius reddidere tot Doctorum opiniones, ut dicit Thom. Tamburin. in *Decalog. lib. 8. cap. 1. §. 7. num. 3.* pro recta resolutione distinxerunt, dicentes: Vel Triticum adhuc existit apud rusticum furem tempore Paschatis, dum constituitur, quia illud neque vendidit, neque consumpsit, vel amplius non existit, quia jam illud consumpsit, vel alienavit.

Si existit, considerentur duo casus: *Primus casus.*

Si dominus erat venditurus, vel consumpturus ipsum triticum vel mense Augusto, vel hoc tempore Paschatis, tenetur rusticus restituere hoc eodem tempore ipsum modium tritici, vel ipsam summam Ducatorum decem. *Secundus casus.*

Si dominus erat venditurus, vel consumpturus triticum mense Decembre, non sufficit, si nunc, tempore Paschatis rusticus restituat modium tritici furto ablati, sed ulterius debet restituere duos ducatos ad perficiendum valorem mensis Decembris, quia cum dominus illud non habuerit eo tempore, fuit damnificatus à rustico in dicta summa. DD. *infra allegati in quinto Casu.*

Si triticum non existat, eo quia jam fuit à fure consumptum, vel alienatum, Sex casus sunt considerandi. *Primus casus.* Si rusticus consumpsit triticum mense Augusto, & eodem tempore dominus erat illud consumpturus, sufficit restituere ducatos octo. *Secundus casus.* Si consumptum, vel alienatum fuit triticum, seu venditum (quod idem est) à rustico fure mense Decembre, & eodem tempore illud dominus vendidisset,

S 2

vel

vel consumpsisset, debet restituere Ducatos duodecim. *Tertius casus.* Si consumptio, alienatiove tritici à rustico facta sit tempore Paschatis, ad quod usque tempus dominus erat illud servaturus, sufficit restituere Ducatos decem. In his tribus casibus omnes DD. conveniunt, & nulla est difficultas, quia cum tantundem esset habiturus dominus, si rusticus ei triticum furatus non fuisset, & tantundem habuerit rusticus alienando, vel consumendo triticum, restituenda est summa valoris tempore consumptionis, ut dictum est, in quocunque casu. *Quartus casus.* Si rusticus vendiderit triticum mense Decembri Ducatis duodecim, vel eo mense illud consumpsit, at dominus esset illud venditurus, aut consumpturus mense Augusto, vel in Paschate; in hoc casu rusticus obligandus est restituere summam ducatorum decem. Ita est tenendum contra Bonacin. & Dian. relatos in secunda opin. ea ratione, quia, quo tempore fur consumit triticum furto ablatum, vel vendit, ex eo remanet debitor illius pretii. Igitur si ante minus valebat, vel si postea decreverit pretium, debet restituere totum illud, quod ipse habuit, ne ex sua mora culpabili in restituendo, lucrum caperet, Rebell. de oblig. Justit. part. 1. lib. 2. quest. 6. num. 5. Eminent. Cardin. de Lugo de Justit. & Jur. tom. 1. disput. 18. num. 128. *Quintus casus.* Si rusticus vendidisset triticum octo ducatis mense Augusto, at dominus fuisset servaturus usque ad Mensem Decembrem, debet ei restituere Ducatos duodecim; aut si usque ad tempus Paschatis dominus servavisset, ducatos decem tenetur restituere, quia est communis Doctorum sententia, quando res furtiva non existit, tantum esse restituendum, quantum valeret tempore, quo dominus vendidisset, vel consumpsisset, ne jacturam sentiat ex delicto alterius, & à damno, quod patitur, sublevetur. Thom. Tamburin. dict. lib. 8. in Decal. cap. 2. §. 7. num. 6. & 7. Bonacina dict. tom. 2. de Restit. in gener. disput. 1. quest. 3. punct. 11. num. 4. ubi aliam rationem subdit, videlicet, restitutionem faciendam esse ad æqualitatem damni domino illati. Layman. dict. lib. 3. tract. 2. cap. 4. num. 7. Molina tom. 3. disput. 725. num. 6. Rebell. de oblig. Justit. dict. part. 1. lib. 2. quest. 6. num. 4. Eminentiss. Cardin. de Lugo dict. disput. 18. num. 121. *Sextus casus.* Si verò dubium sit, & versetur in incerto, quo scilicet tempore dominus esset venditurus triticum, vel consumpturus, neque id ex conjecturis liquidari possit, tunc rusticus restituere debet pretium medium, id est ducatos decem; incertitudo enim admittit aliquam diminutionem, & si dominus potuisset vendere triticum pretio magno, potuisset etiam vendere pretio infimo, ut ex Turrian. & Lessio firmat Eminentiss. Cardin. de Lugo dict. tom. 1. de Justit. & Jur. disput. 18. num. 133. Diana part. 1. tract. 8. resolut. 17. Quæ in Coordinato est tom. 6. tract. 3. resolut. 18. & part. 2. tract. 17. resolut. 52. Quæ in Coordinato habetur tom. 8. tract. 7. resolut. 10. & Cotton. in Sum. Dian. Verb. Restitui num. 7.

Tandem corollarii loco notarunt studiosi nostri, non esse credendum domino asserenti, se voluisse servare triticum ad tempus majoris pretii, sed recurrendum esse ad conjecturas, & ad arbitrium boni viri, ut admonet idem Eminentiss. Cardin. de Lugo dict. disput. 18. num. 135.

Sequens casus satis curiosus est: Petrus abstulit ex amici Musæo historiarum librum, quem retinere cupit,

soluturus clam pretium ejus amico. Quæritur, An tunc conscientia possit?

Omnes respondere negativè, nam aliud pro alio invito creditore solvi non potest. l. 2. §. mutui datio. ff. si cert. per. l. Manifesti. l. Eum, qui; & 10. l. Eum, à quo. C. de Solut. Graff. part. 1. lib. 2. cap. 130. num. 1. Summa Diana Verb. Restitui num. 1. Et libri ablati dominium remanet apud amicum; quod autem nostrum est, sine facto nostro ad alium transferri non potest. l. Id, quod nostrum. 11. ff. de Reg. Jur. Tomasett. in Flor. leg. regul. 280. Thom. Tamburin. lib. 8. in Decal. cap. 3. §. 1. num. 4. ubi DD. allegat, docentes, creditorem habere jus Justitiæ non solum ad rem, & valorem rei; sed etiam ad eandem suam rem consequendam; & Diana part. 10. tract. 13. & misc. 3. resolut. 44. Quæ in Coordinato legitur tom. 7. tract. 1. resolut. 223. Porro tres limitationes dantur ad hanc 11 responsionem: Prima, si res sit deperdita, vel alienata. Secunda, si valde sit deteriorata. Tertia, si sequeretur manifestatio furis, vel aliquod grave inconveniens. Graff. dict. part. 1. lib. 2. cap. 130. num. 1. & ibi Sot. & Navar. Cardin. Tolet. lib. 5. cap. 22. num. 1.

DECISIO LXXXV.

ARGUMENTUM.

Docet hæc Decisio, Quid, & Quotuplex sit Justitia? Quale Objectum, ac Subjectum Justitiæ? Qui Justitiæ effectus? Quæ vitia Justitiæ opposita?

SUMMARIUM.

1. Justitia appellatione qua, & quot significetur?
2. Justitia unde dicatur?
3. Justitia definitio.
4. Ejus multiplex divisio.
5. Commutativa Justitia quanam sit?
6. Distributiva qua?
7. Vindicativa qua sit?
8. Objectum materiale, ac formale Justitiæ quodnam sit?
9. Subjectum ejusdem Virtutis quale sit?
10. Justitia an sit inter Deum, & homines?
11. Justitia Commutativa effectus.
12. Fructus rei aliena à bona fidei possessore an restituendi?
13. Superiorum Ecclesiasticorum obligatio circa Justitiam distributivam.
14. Dignitas personarum pro beneficiis, in quibus consistat?
15. Vindicativa Justitia quomodo mensuranda?
16. Vitia contra Justitiam qua, & quot?

Scire oportet: Appellatione Justitia vel significari gratiam sanctificantem juxta illud Psalm. 16. Ego autem in justitia apparebo conspectui tuo. Vel sanctitatem ex ipsa gratia proponentem, de qua illud Matth. 5. Beati, qui esuriunt, & sitiunt Justitiam. Vel contineri Præcepta legalia, de quibus dicitur Psalm. 18. Justitia Domini recta laticantes corda. Vel quamcunque Virtutem moralem, ut intellexit Apostolorum Princeps in illis verbis 1. Petr. 3. 14. Si quid patimini propter justitiam, beati. Vel denique Virtutem Cardinalem, quæ proprio nomine appellatur JUSTITIA, à Verbo Justeo, eo quia legalis Justitia jubet, & leges pro æquitate facit: vel à Verbo Justum, nam hæc virtus unicuique reddit justum, & æquum.

Ita.